

Heinrich Rudolph Redecker

**Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Rudolphus Redeker/ I.C. ac
Pandectarum Professor Publ. ... Ad Exequias ... Johanni Steinwege/ Iur. Cand.
praestantiss. hodie ... parandas, Omnes omnium ordinum cives Academicos
peramanter invitat ...**

Rostochii: Kilius, 1676

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774671114>


Druck Freier  Zugang




Redecker, H.R.

in J. Steinwege.

Rostock, 1676.





RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS;

HEINRICUS RU-
DOLPHUS Redeker/

J. C. ac Pandectarum Professor Publ.
Consistorii item Ducalis Assessor,
AD EXEQUIAS

Juvenem Nobilissimo & Eximio

DNO. JOHANNI

Steinwege /

Jur. Cand. præstantiss:

hodiè, circa dimid. Primam, parandas,

Omnes omnium ordinum cives Acade-
micos peramanter invitat.

Conventus erit in Æde Nicolaitanâ

ROSTOCHII,

Typis hæred. JOHANNIS KILII Acad. Typogr. ANNO M. DC. LXXVI



SALUTEM!



Sapientissimus mortalium,
SALOMON, non ex nudâ contem-
platione vanitatum humanæ vitæ,
sed longo experimento, quia illis
rebus, quæ vulgò maximi fiunt,
abundavit, edoctus: *Melius est,*
inquit, ire ad domum luctus, quam
ad domum convivii; in illa enim finis cunctorum admo-
netur hominum: & vivens cogitat quid futurum sit.
Quis ista crederet, nisi à sapientissimo Regum, imò vi-
rorum omnium, vel ab ipso potius Spiritu S. diceren-
tur; Utilius homini esse ire ad domum luctus, ubi, cum
mœrore ad spectantium, jacet mortuus, quam ubi cum
lætitiâ largo potu bibitur, vinum generosius, & cum
voluptate comeduntur pingua. Cor siquidem Sa-
pientum, uti idem Ecclesiasticus orator testatur, u-
bi tristitia est, cor stultorum, ubi lætitia. Sapientes
sine dubio sunt qui meliora eligunt, & ideo vivere
& mori mature discunt; quia vita omnis tanquam
umbra præterit, nihilque tutum, stabile, & à pericu-
lis vacuum promittit. Omnis dies & omnis ferè ho-
ra, quam nihil simus, ostendit. Theatrum & ludum
videmus esse, quicquid in hoc orbe vivere dicimus;
quoniam quotidie

Mi-

Mista senum & juvenum densantur funera
Quid itaque cristas tollimus homines, tam imbecillis
res & supra omne fictile fragilis? quid disponimus
ætatem, & plurimorum annorum consilia agimus,
in longumque nostras spes jaculamur, quibus dies
craftina non tantum, sed hodierna, sed ipsum quo-
que, quod præsto est, momentum, finem peragit?
Moriendi necessitas omnibus incumbit & sine ordine
illa venit, neq; enim flos corporis, aut vigor animi, nec
vel ipsa virtus, spiritum, cum hora adest, retinere in
corpore potest. Exemplo id suo probat Eximius &
Florentissimus Juvenis Dn. JOHANNES Steinsweg /
J. U. Candidatus, qui nobis funebris hujus scripturæ
materiã suppeditavit. Quem, si recogitabimus,
quã præclaro fuerit ingenio, quã singulari erudi-
tione, & elegantissimis moribus præditus, non possu-
mus non, mortalitatis nostræ memores, in illam ire
sententiam, melius esse ire ad domum luctus, & me-
minisse mori, quam ad domũ lætitiæ. Ceterum, quæ
de hujus defuncti commilitationis nostri vitã & morib9
nobis hîc loci innotuerũt, Hospitis ej9, Viri Consultiss.
& Excellentissimi Dn. JOHANNIS SIBRANDI,
J. U. D. & Prof. Publ. compatris & collegæ nostri ho-
honoratissimi, verbis placet exprimere:

*Pia memoria DN. JOHANNES Steinsweg / cujus
quidem justa jamjam exsolvenda veniunt, accessit ad hanc
nostram Almam mense Mart. An. 1671. ex commenda-
tione Viri Magnifici Maximeque Venerandi Dn. Bern-*

ardi Theodori Braueri ab Hachenburg, Consulis Ci-
uitatis Imperialis liberae Lubecensis longe meritissimi, &
Reverend. Capituli ibidem Praepositi, nec non Civitatum
Hanseaticarum Syndici gravissimi, Fautoris Colendissi-
mi, quod Parens pie defuncti Dn. Wesselius Steinsweg/
Pastor Metelensis vigilantissimus ejusdem Sororem ger-
manam thori junxisset sociam, qui ante annum, & quod
excurrit, praesente hoc nostro pie diem suum obiit; post se
relinquens quinque liberos superstites, ex priori quidem
matrimonio Justum Theodorum, qui à morte parentis di-
cta Diaceos Pastor, & Vicarius ibidem meritissime au-
dit: alter Germanus Wesselius, Mercator Civitatis
Imperialis Tremoniensis primarius. Ex posteriori con-
jugio reliquit fratrem & sororem, quorum nomina igno-
ramus, quod temporis ratio non permiserit per literas cu-
ratius in ista inquirere, sed haec ex familiari excerpere collo-
quio coacti sumus. Quod transactam hinc attinet vitam,
uti memoria & iudicio valebat vel maxime, ita sibi à
Deo concessa dona diligentissime excoluit, sicuti Dni. Com-
militones haec optime norunt, & publice me Praeside aliquo-
ties tum respondendo tum opponendo testatum fecit, sique
Deus vitam concessisset longiorem publico & solenni testi-
monio omnibus bonis probaturus erat, ita ut omnium ea
propter mereretur benevolentiam, mihi que sese devinctissi-
mum fecerit, ita ut, si quem alium, non potuerim non
impensissime & tenerrime amare, & si fata superesse
diutius eum si vissent, quin talis fuisset evasurus, qualem
vel maxime optavissemus, nullus dubito. Ita scilicet qui
vitam

vitam transigit, omnibus ut sit suavis, nemini gravis, facillime sibi poterit parere gratiam apud bonos. Uti autem vitam egit Studio dignissimam, non stertendo tempus absumens, sed probatae lectionis Autores nocturna versando manu, versando diurna, plus olei consumens quam vini, non poterit non ulteriori fato dignus censerī. Uti autem me ductore studio juris operam natavit strenuissimam, ita & reliqui Dn. Professores, quorum etiam usus informatione mecum idem, scio, sentient. Mortis vel ab initio ē patria reversus praesagum gessit animum, sicque ad exitum se paravit, ut qui ad iussum Imperatoris sui, velut strenuus miles paratissimum se sisteret, uti Dn. Confessionarii testimonium hoc facit testatum.

Vir autē Pl. Reverendus & Clar. Dn. M. Rembertus Sandhagen / Rever. Ministerii Rostoch. Senior & Pastor Nicolaitanus vigilantissimus, amicus & popularis noster aestimatissimus, pie defunctum, propter eximiam probitatem, & praeclearas animi dotes, omni benevolentiae genere est complexus, & egregiū nobis de eo exhibuit pietatis pariter & beati obitus testimonium. Fuisse scilicet Steinwegium nostrum indefesum divini numinis cultorem, idque ore pariter & corde, ad extremum vitae halitum, ostendisse. Et postquam morbi vim invalescere, vires autem dejici sentiret, ita ut medici curam & consilium inluderet, potius duxisse de vitā animae quā corporis esse sollicitum. Primum itaque statuisse de salutari viatico sibi prospicere, seque ad aeternam vitam praeparare, adeoque

que ipso Beati Johannis die, in remissione in peccato-
rum, & æternæ salutis symbolum, Sac. Synaxi, magnâ
cum devotione, esse usum, & confessionarii hujus pio
alloquio subinde refocillatum. Vocatus autem Se-
nior nunquam non paratus illi adfuit, & ex S. S. argu-
mentis sc. Jesa. c. 41. v. 10. & 1. Cor. 10. v. 5. eundem in piis desi-
deriis & verâ fide confirmavit. Cum autem d. 28. Jun. ipse
decretoriam instare horam intelligeret, se totum ad
voluntatem Dominico imposuit, & circa horam quartâ
vespertinam, inter preces & pia vota laudati sui Con-
fessionarii, aliorumque adstantium, placidissimo obitu,
cum ex Ps. 31. animâ Salvatori suo, pio tandem suspirio,
commendasset, expiravit. Morbi virus & Symptomata
varia quod attinet, ea nobis, ex adjectis literis Medi-
ci, Nobilissimus Dn. Hospes ejus communicavit:

Nobilissime

*Ex quo me in Consilium adversum ultiores morbi in-
gruentis insultus, accersitum voluit beatè functus nihil pe-
nè, præter mortis præsagia ingeminavit. Quantumvis
enim quadrato hæcenus foret corpore, ætate vegetâ, con-
stitutione firmâ; occultum tamen morbi mortisque fo-
mitem, sat diu, variè dicitur præsensisse, donec ille, ante
aliquot septimanas, in insolitum æque ac insolentem vomitum,
mox Diarrhæam prorumperet lethalem. Comitaban-
tatur eam dolor Hypochondriorum tensivus cum tussi,
Pulsus vermiculans, artuum tremor, dejectio varia, si-
tis inexhausta, Apositia, vigiliae frequentes, corporis con-
sumptio, Lypothymia. Et hæc, licet magno adhibito co-
namini, aliquatenus subinde viderentur cessura; ex insi-*

diis tamen accurrebant semper, validiori variorum symptomatum catervâ stipata. Somnus erat, sed turbulentus, quique hiantes ore, palpebrisque haud satis commissis, supinum, ad festucarum collectionem, responsaque inexpectata incitaret. Dejectionum frequentia sedata anxietatem cordis inducebat. Sitis locum, faucium dolor, sine tumore, tum linguae tremor, ariditas & asperitudo. Nausea item, screatus, singultus acerbus, loquela obscuritas, exolutio virium, respiratio elata supplebant: donec extremorum madentium frigus, extrema ei omnia minitaretur, quem omnes boni magna, quam de se, quoad viveret, praebebat expectationi, diutius superesse omnino voluissent. Ita accidit in puncto quod vix speratur in anno, & validissimi haecenus, validissimorum exemplis, reculam nostram, ad Aeternitatis iter, in tempore consarcinare monemur! Quod, utut Tibi Vir Amplissime obscurum esse nequeat, ad instantiam tamen Tui quadamtenus adumbravi. Nob. Ampl. Tui Studiofissimus

Emuszo raptiff. 10. Junii 1676.

Döbelis, D.


Mihi unum autem est illum, inter tot morbi molestias, æquissimo semper & tranquillissimo fuisse animo, omnesque forti animo superasse difficultates. Quoniam autem non minor pietas probitasque, quam eruditio atque doctrina, huic nostro defuncto cordi semper fuit, inde bonorum favores sibi facile conciliavit, certamque sui fiduciam omnibus fecit, fore illum civem pariter atque virum bonum, nisi fati inevitabilis necessitas, vel summi potius numinis voluntas, eum, in ipso ætatis flore, cum annum ætatis XXVI. præter propter a-

gerēt, ex hāc ærumnarum vālle, ad æternæ vitæ felicitatem avocasset. Quid in hoc insperato planè obitu, tam egregii Juris Candidati & commilitonis nostri suavissimi, nos facere oporteat, quisque nostrum suāpse sponte arbitrabitur. Memores esse debemus mortis, quia pulvis sumus, & flos agri, qui crastinam lucem nobis polliceri neutiquam possumus. Vitam lucrāmur, quando in singulos dies mortis virulenta tela imminere curatiùs ponderamus. *Noli*, inquit Ecclesiastes disertissimus, *de mortuo inimico tuo gaudere, sciens quoniam omnes morimur*, ter magis itaque dolere debemus, & cum flentibus flere, quando pectora adeo præstantia, probitate & doctrinā conspicua, supremum diem obire immaturime coguntur: Ire debemus in domum luctus & mœroris, & ibi vitæ nostræ fugacitatem penitiùs contemplari & examinare: Comitari nos decet civis nostri ornatissimi funus, quod hodiè, circa horam primam, ex ædibus Sybrandianis esseretur & in æde Jacobæâ humabitur. Adeste itaq; Honoratissimi Cives Academici, adeste frequentes, & exequias hæc decore comitatu ornate, repurateq; cum animis vestris,

HODIE MIHI, CRAS TIBI!

P P. Sub Sigill. Rect. 2. Julij
Anno 1676.








vitam transigit, omnibus ut sit suavis, nem-
cillime sibi poterit parere gratiam apud bono-
vitam egit Studioso dignissimam, non ster-
absumens, sed probata lectionis Autores
sando manu, versando diurna, plus olei cor-
vini, non poterit non ulteriori fato dignus ce-
tem me ductore studio juris operam nat-
mam, ita & reliqui Dn. Professores, quor-
informatione mecum idem, scio, sentient.
ab initio e patria reversus praesagum gessit ad
ad exitum se paravit, ut qui ad iussum In-
velut strenuus miles paratissimum se sosteret
fessionarii testimonium hoc facit testatum.

Vir autē Pl. Reverendus & Clar. Dn.
Sandhagen / Rever. Ministerii Rostoch-
stor Nicolaitanus vigilantissimus, amice-
ris noster æstimatissimus, pie defunctu-
ximiam probitatem, & præclaras animæ
benevolentiaē genere est complexus, &
de eo exhibuit pietatis pariter & beati o-
nium. Fuisse scilicet Steinwegium nos-
sum divini numinis cultorem, idque
corde, ad extremum vitæ halitum, osten-
quam morbi vim invalescere, vires au-
tirit, ita ut medici curam & consilium
tius duxisse de vitâ animæ quàm corporis
tum. Primum itaque statuissse de salutē
prospicere, sequē ad æternam vitam præ-



fa-
em
ous
er-
am
au-
issi-
sus
vel
que
ni,
on-
tus
Pa-
la-
re-
nni
bis
no-
tes-
&
ost-
en-
po-
fici-
sibi
eo-
que